



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Rudolfi Regis Burgundiæ præceptum pro monasterio Gigniacensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

scriptum sit ne sacerdotes decimas dare cogantur. Quisquis autem, quod non optamus, tam ex ipsis donatoribus quàm ex aliis temerario ausu de donatis rebus vel donandis aliquid auferre præsumpserit, sive quamlibet [calumniam] eidem monasterio ipsiusve monachis ingerere tentaverit, & contra hoc nostrum apostolicum privilegium agere non formidaverit, sciat se anathematis vinculis innodandum &, nisi resipuerit, à regno Dei alienandum, Qui autem verus custos & observator hujus pij nostri statuti extiterit, benedictionem & gratiam à Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Sergij Scriniarij sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Novembrio, Indictione superscripta, per manum Stephani Cancellarij sanctæ sedis apostolicæ, imperante Domino piissimo Augusto Arnulfo à Deo coronato. Benevalete.

R O D V L F I

R E G I S B V R G V N D I Æ

Præceptum pro eodem monasterio Gigniensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Rodulfus ordinante divino numere serenissimus Rex. Si fervorum Dei justis postulationibus serenitatis nostræ aurem accommodaverimus, & quod piè & rationabiliter petunt, benignè & clementer concesserimus, hoc nobis profuturum in præsentibus vel in futuro minimè dubitamus. Idcirco notum esse volumus omnium fidelium nostrorum sollertiam tam præsentium quàmque futurorum qualiter vir venerabilis Berno videlicet reverentissimus Abbas adiit nostram magnitudinem petens nos ut quendam

Anno Christi
904.

L

locum Gigniacum, quem ipse Abbas & sui confratres tenent vel construunt regulariter, rebus proprietatis nostræ ditaremus. quod libenter fecimus, Donamus itaque pro æterna retributione ad jamdictum locum in honore beati Petri Apostoli constructum, vel ipsi Apostolorum principi Romæ subditum, res quas postulavit Abbas prædictus, hoc est, in comitatu Scutindis quandam cellam nomine Balmam, ubi fluvius Sallia surgit, quam ipsi monachi prælibati ad fundamentum reædificaverunt, in præfato etiam comitato cellulam quampiam in qua sanctus Lauterius confessor preciosus requiescit, in ipso etiam comitato quandam villam nomine Cavanacum & Clemenciacum cum omnibus suis appendiciis quæ ad dictas villas justè & legaliter pertinere videntur, vel ad dictam villam, in rebus vel mancipiis cum omni integritate ad sæpeditum locum Gigniacum donamus & de nostro jure in jus habendum præfati Abbatis Bernoni videlicet vel successorum ejus qui ipsum locum dominaturi sunt sub instituta regula solenni more transferimus, nulli ipsis jamdictis monachis contradicente, sed quietè hoc possideant in perpetuum. Ut autem hujus nostri præcepti auctoritas firmitus credatur & ab omnibus inviolabiliter semper observetur, & in Dei nomine totius firmitatis obtineat vigorem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri signum subtus in ea mandavimus affigi.

Signum Domni Rodulfi piissimi Regis.

Data IV. Idus Decembris anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi MCCCIV. Indictione

* VIII. * VI. regnante Domno Rodulfo Rege anno XVI.

Actum Novavilla in Dei nomine feliciter. Amen.

